



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCXII. Haeredes deposito.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



stituta est, sed illud, quod justissimum est, reddendæ pecuniæ causa.

## CCCXII.

*Heredes de deposito.*

Quidam à commilitone ejusdem ordinis depositum petebat: negavit ille se accepisse. Cum res sine teste esset, occidit cum à quo petebat, & se. Petitoris hæres, petit ab hærede alterius commilitonis.

## DECLAMATIO.

**S**I pecunia tantum in causa litis esset, parem videremur litigandi habere rationem: nunc illud quidem nobis extra ordinem accidit, quod litigandum est etiam propter ipsum, ne sine causa perierit. Plurimum autem fallitur, si quis eandem conditionem putat hujus judicii ac prioris. Desit esse sine teste. Ergo jam priori non erat satis proficere: mihi, non mediocre argumentum est. Si quis enim testis idoneus fuisset, videretur hujus fiducia calumniatus: quid in causa est præter veritatem, ut aliquis id petat, quod probari non possit? Et inficiandi quidem depositam pecuniam manifesta ratio est, cupiditatis, lucri: petendi etiam non depositam, si quæ probationis spes, eadem causa sit. Cum quidem aliquis dicit, Deposui apud te, scis ipse: quid aliud videtur advocare quam Deos testes? Dicite igitur causam, quare petierit, si non deposuerat? Habere pecuniam potuit, manifestum est: & ipse reliquit hæredes, & is qui ejusdem ordinis fuit. Multas deponendæ pecuniæ intervenire rationes inter milites manifestum est: longum iter incidit, periculosa expeditio. Si deponenda sit, ubi credibilis est deponi, quam apud hominem ejusdem ordinis? Nam præter id, quod facilius speratur fides ex pari, est quædam ejusdem ordinis conjunctio: nec apud inferiorem deponi solet, cum adeo deponatur, ut recipiatur: credibile est ergo apud hominem ejusdem ordinis deposuisse.

[ Nunc illud quidem.] Scribe: nunc | quod litigandum est etiam propter ipsum. illud quoque extra ordinem nobis accidit, | Vel id ipsum. Gronovius,



fuisse. At sine teste. De omnibus depositis loquar. Misera hercule conditio mortalitatis, quando omnibus jam, quæ agimus, videtur opus esse teste: ita parum facit veritas, ita nullum nomen est fidei. Non satis videri potest probatum, quod duo sciunt. Veniamus tamen (ut dixi) ad probationem. Occidit eum, à quo pecunia negabatur. Iterum quæro: qua ratione, qua causa? Odium fuit. Unde? Ego quare occidere debuerit, dico: Inficiabatur: tu ut hanc causam occidendi excludas, substituas aliam necesse est, Satis argumenti erat, si occidisset clam, si ex infidiis: si tanquam negaturus. Quæ causa hominem in scelus egit? quid fuit, quod tantam rabiem concitaret, nisi illud, quod sciebat se dedisse? cum dicenti, Apud te pecuniam deposui, respondebatur, Quis testis est? quæ probatio est? quanti animi æstus agebantur? non vobis videbatur, cum feriret, illa dixisse: Ita non de posui? Optime mehercule mihi videtur, ac militari facinore illa exclamasse, I nunc, & nega: I nunc & alienam pecuniam converte in tuas cupiditates: non uteris tamen. Erat argumentum ergo tantum, quod occidit. Quam ultra desideratis probationem? occidit statim moriturus. Frequenter judicia huiusmodi exercentur, ut si res in notitia dicitur esse servulorum, torqueri mancipia videamus. Si nos civitatis & conditio militiæ pateretur, se in tormenta obtulisset, illum poposcisset. Non tibi videtur præbuisse de animo suo quæstionem?

## CCCXIII.

*Falso cædis damnatus.*

QUI CÆDIS REUM ACCUSAVERIT, NEQUE DAMNAVERIT, IPSE PUNIATUR. DAMNATORUM SUPPLICIA IN DIEM TRICESIMUM DIFFERANTUR. Accusavit quidam & damnavit: <sup>1</sup> in diem tricesimum dilata damnatio est: intervenit is qui occisus dicebatur, petit reus pœnam accusatoris.

## S E R M O.

*Non erit alienum, advocatum dare huic accusatori. Fecit rem*

(ut

<sup>1</sup> Non vobis videbatur, cum feriret.]

<sup>2</sup> In diem tricesimum.] Hæc lex post-Malim, videatur. Idem. | ca ab Imperatore Theodosio renovata est.